ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo clarissimoq. viro
D. Constantino Hugenio Zulichemi Dno &c.
C. Barlaeus S. P. D.

Redeunt ad te, Nobilissime Hugeni, dies tui Festi, verum diffusi in τὰ ἔκασα, ne temporum iniuria pereant, quae à pluribus asservari possunt. Secuti sumus autographum tuum, quoad per humanam sedulitatem & curam fieri potuit. licet de distinctionibus et syllabarum compositione et litteris in fine duplicandis vel non controversiam mihi moverint grandes Critici. Sed minus curant illa philosophi Reales, et istos Nominales cum Thoma Aquinate iubent suis facetiis gaudere et securos frui. Ea forma excusi sunt, qua à te scripti, ita ut suspendi possint singula lemmata et iuxta se invicem affigi parietibus & legi. Cum Tessela commissus es.

Cenn
Lamm
Stamm

Egregiam vero laudem. si lacesa possit
Tessela Constanti succubuisse viro,
Et mater cessisse Patri. Expectamus amici,
Praemia quae victa de Babylone feres.

respondisti aptè ad epistolam, sed nondum ad viduae Epigramma acre satis et salsum. Non est χόλος, quicquid tandem de lite sine bile glorieris. Ego extra teli iactum in vestra pugna nolo esse à partibus secundis, ne utrinq. vapulem. malim ego viduam istam amare innoxie, quam stylo pungere. Duo cum faciunt idem, non est idem. albae gallinae filius es apud Tesselam et a Iove nutritus. uris illam et secas, et illa te, et mutuo palpum obtruditis. Pelias hasta estis utraq. profitemini amicitias officia, et utilitates, quales ex hostibus petuntur, et eadem linea ~~caesim~~ caditis inq. vicem praebetis crura sagittis. sub mollibus verborum globulis

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 166
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3884

miscetis aconita. Breviter, Comoedi estis, et perunctis
faucibus ora. alij estis, alij videmini. Quos cum domina
Osmalia commutasti versus, intelligam, ubi reversus ad
nos fuerit Satrapa. Hic in Praefecturae suae urbibus
iam ponit et tollit secures. Marinum magni facio,
et inter summos saeculi nostri poetas loco. redibunt
ad te Osmaliae lusus de Hippocrene, Hippocrate et
Hippocratico nectare. Caveat sibi à Pegaso, nam caballus
est. reliqua ex dono tuo apponam meis. Si plura
Exemplaria poematum tuorum petas, mittam. Vale
Vir Nobilissime et amicorum apertissime, meq; ijs
lectoribus accense, qui Epigrammata tua aiunt
desinere in pyramidem, in cuspidem, in stylos, frameas,
hastas, acus & aciculas, spicula et sicas, uncos
etiam et hamos, et quicquid praepilatum est et
ingeniose acutum. Dixi.

Filios saluta et Brunonem et D. Vicofortium.

Amstelod. XXVIII Jan. CIↃIↃCXLV.

Tractatus istos accepi per D. Vicofortium.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 166
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3884

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 166
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3884

Mijn Heer
mijn Heer Constantijn
Huygens Ridder, Heer van
Zuylichem, raad ende Secretaris
van sijn Hoocheyt

Met een pampiertien pack
[illegible] van Barlaeus op de
Haghe.

Haghe